



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Natalem Rondinium, S. D. N. Alexandro VII. Pont. Opt. Max. ab
epistolis ad Principes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

An nescis teneris illum dare jura puellis,
 Juncta Palatino quas alit ora jugo?
 Macerat has curis, jucundumque improbus arcet,
 Ne miserarum ætas florida ver agitet.
 Nam tetricæ studiis secretâ in Valle Minervæ
 Per lanæ exercet dura ministeria.
 Et radiis cogit, rigidoque affuescere penso,
 Staminaque assiduâ ferre, columque manu;
 Ne segnis mores corrumpat inertia, neve
 Mens vacet ad lusus desidiosa tuos.
 His animis, his ingeniis (scis ipsa) necesse est,
 Nec dulcis Bacchus, nec sit amica Venus.
 Ergo hominem nunquam (si quid mihi credis) amabis,
 Participemque tui nectaris esse voles.
 Quin age, & ingrato te protinus eripe tecto,
 Et sine cum Musis illum habitare fuis.

A D N A T A L E M
 R O N D I N I N U M,
 S. D. N. A L E X A N D R O VII.
 P O N T. O P T. M A X.

ab epistolis ad Principes.

U Nica Piëridum, Natalis, cura Dearum,
 Cui Vaticani pervia
 Interiora adyti penetralia fecit in alto
 Firmata Virtus pectore,
 Cujus ALEXANDRI quoties sententia docto
 Prodiit ab ore Maximi,

Nil

Nil est, quod Latium tumeat Cicerone, fuisse
 Facunda alumnis Græcia:
 Clarus Apollineo me nunc à numine vertex
 Soractis antiqui tenet
 Urbanæ strepitum fugientem & jurgia turbæ,
 Juvatque de minantibus
 In cælum scopulis illinc nemora alta, domosque
 Ferarum opacas cernere,
 Hinc variam cultu segetem, glebasque Sabellis
 Exercitas ligonibus,
 Et latè in Latios animum dispergere tractus.
 Quàm læta vitis arduis
 Fusa cacuminibus virides hîc surgit in ulmos!
 Quàm flava aristas æquora,
 Quàmque ferax oleæ collis! quàm lacte capellis
 Distenta semper ubera!
 Quàm prisca mores hominum! quàm numine mulcet
 Auras benigno Jupiter!
 Sed me non facies rerum pulcherrima, nec tam
 Amica Musis otia,
 Quàm veterum capiunt quæ passim ingentia Patrum
 Visuntur hîc vestigia,
 SILVESTRI magni latebræ, quibus ille potentum
 Vitavit enses impios,
 Haud passus periisse manum, quæ cuncta priorum
 Abominanda numinum
 Unius adpersu mendacia perdidit undæ.
 Quid Urbis & thalami fugam,
 ROMANÆQUE¹ specus memorem, contemptaque duro
 Præ filicis atrî tegmine

B b 3

Sceptra

¹ S. Romana, Calpurnii Præfecti Urbis filia, cùm nuptiis destinaretur, divino monitu ad S. Silvestrum in Soracte latentem fugit.

Scepra * olim Ligeri latè dominata superbo,
 Salvete rupes aureæ,
 Proxima Cœlitibus sedes : salvete quietæ
 Secura mentis gaudia.
 Ut mihi jam Regum laqueata cubilia sordent,
 Aurata sordent atria!
 Nec moror extremus quidquid sub divite fluctu
 Hermusque volvit & Tagus.
 Sed me, ne vestris reliquos in cotibus annos
 Nemorum colonus exigam,
 Aurea defuetas redeuntia sæcula in urbes,
 Vetantque cum Sororibus
 Justitia, & Pietas cœtus dignata frequentes
 Certantium se candidos
 Ad sui ALEXANDRI populorum fingere mores,
 Et se probare ingentium,
 In tanto faciles dederunt quæ Príncipe Divi,
 Non immerentes munerum.
 Ille sibi rigidus, sibi inexorabilis uni,
 Nihil remissi in arduo
 Pectore, nil patitur laxi, per dura laborum,
 Curasque rerum maximus,
 Atque hominum gaudet Princeps audire Paterque,
 Nemo obsequentis acrior
 Fortunæ illecebras calcare, aut falce tremendæ
 Necessitatis ultimæ
 Immanes vultus animo spectare sereno,
 Orando nec præsentior
 In Superûm iratis extinguere fulmina dextris.
 Ahena non si vox mihi,

Non

* Carolomannus, Caroli Martelli filius atque heres, antequam in
 Cassini cœnobium conferret, Soracis montis secreto delectatus fuit.

Non centum ardenti resonent si gutture linguae,
 Merentis ad praeconia
 Sim fati, & laudes valeam me effundere in omnes.
 Per montium & quisquam juga,
 Per saltus, fluviosque, ac devia rura vagetur,
 Virtutis ut vestigia
 Jamdudum exosae terras fugientia captet?
 Cum, quanta fulget arcibus
 Aetheris in summi, Divumque in honore superbit,
 Se Vaticani in aureo
 Explicuit folio, praesentiaque ora beatis
 Fruenda dat Quiritibus.
 Testis Hyperborei dominatrix Virgo profundi,
 Quae divitem tot inclytis
 Regnorum spoliis, domitoque Aquilone tumentem
 Contemnere ausa Regiam,
 Hujus ab aspectu properat splendescere lucis.
 Quas tu frementis undique
 Laetiae voces mirabere! qualia cernes
 Feryere per urbem gaudia!
 Supplice cum Latias se poplite sistet ad aras,
 Summi que prona Antistitis
 Accidere ad sacrae spectabitur oscula plantae,
 Litoris Amazon Baltici;
 Cujus ab invicto Germana per oppida Marte
 Vibrata nuper fulmina
 Arduus a tumulo stupuit septempace Tybris,
 Nec ulla solam Palladis
 Aegida belligerae plausu cum gentis, & auream
 Tractare docta cuspidem.
 Sed placidas animum Divae exercere per artes
 Ponentis interdum horridam.

Gorgona, perque hilares blandum gradientis Athenas,
 Doctoque Phœbi in pulvere
 Primum Castalias inter decus ire puellas.
 Hanc tu Boote ab ultimo
 Anxia tollentem patriæ in caligine noctis
 Meliorem ad Arcton lumina,
 Imaque divinis uftam præcordia flammis,
 Æterne Vates, optimi
 Inter ALEXANDRI decora olim ingentia, plectro
 Felicior concines:
 Cùm reftincta brevî totum fera bella per orbem,
 Centumque dices ænea
 Custodem Pacis cohibentia robora Janum,
 Italifque Thracem viribus
 Infractum, & patriæ dejectum à culmine fedis
 Scythico latère in angulo.

DE OBITU
 SIDRONII HOSSCHII
 E SOCIETATE JESU.
 A D
 FABIIUM CHISIUM
 S. R. E. CARDINALEM.

Siqua juvant mutos cineres, fi lumine cæcis
 Jucundum quicquam manibus esse potest;
 Multum habet egregii quòd gaudeat umbra SIDRONI,
 Nuper cognatis reddita fideribus,

Ad